



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

2 Curhæc latitudo in solis qualitatibus, non verò in omnibus inueniatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

posito per primum gradum: quæ diuersitas satis est, vt possint circa idem subiectum versari, etiam si suo partiali modo solo numero distinguantur. Alias vero rationes confirmantes illam sententiam nos facile admittimus, quia non probant talem formam esse indiuisibilem, sed esse per se vnā, & requirere latitudinem, & compositionem magis per se, quā sit per solam congregationem graduum omnino similium. Et ipsum magis confirmant argumenta obiecta contra secundam sententiam.

XLI.

Illā verò quibus ipsa nititur, solum probant, qualitatem intensibilem non esse indiuisibilem. Ex quo videntur auctores illius opinionis immediate intulisse compositionem per illam meram aggregationē, ac si in qualitate non esset possibilis alius modus compositionis magis per se quam sit ille, quod tamen ab illis probatum non est. Neque mihi occurrit aliqua ratio, quæ vel apparenter ostendat esse impossibilem illam latitudinem qualitatis cum quodā ordine per se, & à natura definito inter partes eius. Sicut in animali vel planta est ordo per se inter partes heterogeneas formæ eius, quamuis in illa forma illa compositio sit extensiuā, in qualitate verò, de qua agimus, sit intensiuā: neque etiam in exemplis querenda est omnimoda similitudo. Quod si fortasse quis sentiat, hanc nostram sententiam non esse contrariam præcedentibus, sed esse quandam concordiam & legitimam interpretationem earum, non solum non contradicimus, sed etiam id maxime optemus. Et saltem existimo non esse alienam à mente aliquorum auctorum, quos pro illis sententiis citauimus & præsertim Diui Thomæ, de cuius mente plura dicemus sectione tertia.

SECTIO II.

An sola qualitates intensibiles sint, & cur non omnibus id conueniat.

I.
Primæ radicis
intensio
est in sola
qualitate.



Voniam suscipere maius & minus assignatur proprietates qualitatis explicandum à nobis est, quomodo sit illi proprium: quod ex duobus, quæ in questione propolita sunt, pendet, scilicet, an illi soli, & an omni conueniat.

Quomodo sola qualitas intensiois sit capax.

II.

IN primis ergo dicendum est, primam (vt ita dicam) radicem intensiois in sola qualitate inueniri. Hanc assertionem sub hac forma propono, quia etiam de actione & passionem dicit Aristoteles in prædicamentis suscipere magis & minus, tamen id non conuenit actioni & passioni nisi ratione sui termini, quatenus in illo est latitudo intensiois. Vnde neque in substantiali generatione, neque in augmentatione vt ad quā titatem terminatur, est ille modus suscipiendi magis & minus, sed solum secundum additionem extensiuam. Et idem est proportionaliter in locali motu, qui maior aut minor dicitur propter extensionē ad maius, vel minus spatium, vel per plures aut pauciores partes subiecti, non vero secundum intensioem. Dices: Vnus motus localis potest esse velocior alio, qui videtur quidam modus intensiois. Respondetur: Velocitas motus non est proprie intensio, sed est veluti condensatio partium motus intra breuius tempus: vnde illa conditio tam in motu extensiuo, quam in intensiuo, & in remissione etiam inueniri potest. Itaque respectu actionis, vel passionis seu motus, intensio solum habet locum ratione qualitatis intensibilis, ad quam tendit: ideoque latitudo intensiuā dicitur esse per se primo, & tanquam in radice in qualitate.

III.

Sic ergo explicata conclusio probatur, quia qua-

Motus velocitas an sit intensio.

litati ita conuenit hæc latitudo, vt ratione sui, & non ratione alterius illi conueniat: alteri autem non ita conuenit: ergo est hæc proprietas solius qualitatis. Maior patet inductione in calore, lumine, amore, &c. quibus conuenit talis latitudo & non ratione alterius: nihil enim assignari potest ratione cuius eis conueniat. Dicit aliquis conuenire ratione agentis inæqualiter applicati, vel ratione subiecti inæqualiter dispositi, ex Durando in 1. distin. 17. quæst. 6. num. 6. Sed hoc non obstat, quia vt idem Durandus subiicit num. 7. vtraque causa, tam efficiens, quam materialis, supponit in forma intētibili talem naturam, quæ latitudinem in sua entitate habeat, & talem compositionem requirat ad sui integritatem. Et hoc modo dicimus qualitatem ex se habere talem naturam, & non ratione alterius, quamuis quoad existentiam redigatur in actum magis vel minus perfectum, ab agente inæquali, vel in virtute, vel in approximatione, vel in voluntate, si sit liberum: & subiecti etiam dispositio potest aliquando concurrere, licet non semper necessaria sit.

Minor probatur, quia res aliorum prædicamentorum vel intensibiles non sunt, vel non nisi ratione qualitatis. Quod patet inductione, nam substantia & quantitas non suscipiunt magis vel minus. Relatio vero licet dicatur aliquo modo suscipere magis & minus, non tamen ratione sui, sed ratione fundamēti, & non proprie secundum intensioem, sed secundum variationem, vt in disputatione seq. sect. vltim. declarabimus. De actione item & passionem iam dictū est. De cæteris vero quatuor prædicamentis res est manifesta, vel quia censentur esse denominationes extrinsecæ, vt de habitu constat, & de alii multi opinantur: vel quia si sint modi intrinseci, accommodantur ipsis rebus, vt duratio extensiuæ quidem potest esse maior & minor: vel etiam perfectione essentiali, non tamen proprie intensiuæ, nisi fortasse quatenus ipsa res quæ existit, intensioem habet in se, & in sua existentia, à quo duratio non exinguitur ex natura rei, vt infra dicemus. In vbi autem & situ, eū vel non sit in, vel non concipiuntur nisi ad modum quantitatis, intelligi quidem potest extensio, non tamen intensio.

Cur forma substantialis non sit capax intensiois.

SED difficultas est in reddenda ratione, cur substantia & quantitas non sint capaces huius latitudinis, in reliquis enim inferioribus prædicamentis nulla est difficultatis ratio, vt ex dictis satis constat. De substantia verò ratio reddi potest, quia illa non est in subiecto, latitudo autem intensiois non potest intelligi, nisi in ordine ad subiectum, vt supra dicebamus, si enim sit extra subiectum erit latitudo extēsiua, non intensiuā. Quæ ratio est quidem optima de materia prima, & de quacunque re subsistente vt sic. Tamen de formis substantialibus materialibus, quæ suo modo insunt materiæ, & de eius potentia educuntur, non procedit illa ratio, nam eo modo quo sunt in materia, poterunt etiam magis radicari in illa, vel magis educi ex illa. Vnde non defuerunt, qui diceret formas substantiales elementorum esse intensibiles & remissibiles, vt supra tetigimus disputatione 15. sectione 10. num. 41. & sequent. ex Commentar. & aliis.

Nihilominus tamē veritas est, huiusmodi formas non posse intendi, & remitti: alioqui etiam effectus earum, seu cōposita ipsa reciperent magis & minus. Sicut enim est magis calidum, quod intensiorem habet calorem, ita esset magis ignis, qui intensiorem haberet formam ignis. Rationem autē huius rei à priori reddere difficile est. Vnde Durand. supra. id solum probat à posteriori ex modo productionis harum formarum: nam forma intensibilis potest acquiri successi-

cessu motu: forma autem substantialis, nunquam acquiritur hoc modo, sed indiuisibiliter in eadē parte subiecti. Sed in hac ratione aquē difficile videtur probare id, quod subsumitur, nempe formam substantialem semper indiuisibiliter acquiri in eadem parte subiecti, quia nos non experimur introductionem formæ substantialis in se ipsa, sed solum in accidentibus. Vnde ex sola experientia non constat, an forma ignis, v. g. introducatur partibiliter cum ipso calore, vel indiuisibiliter & tota simul in consummatione caloris. Sed nihilominus ex dictis supra disp. 15. sectio. 1. potest satis probabiliter hoc persuaderi, quia experimur in calefactione aquæ, v. g. etiam si plures gradus caloris introducti sint, si tamen forma aquæ non est amissa, ablato extrinseco agente facillime negotio calorem expelli, & aquam ad pristinum gradum se reuocare, ergo signum est, neque formam substantialem aquæ fuisse remissam neque formam substantialem ignis quoad aliquos gradus fuisse introductā. Alioqui illa non posset se ipsam iterum intendere: & hæc sæpe superaret, & per se ipsam, & quasi ab intrinseco vinceret aliam, si possibile esset inter ipsas talis actio. Quia sæpe videntur plures gradus caloris introduci.

Ex quo experimento potest sumi ratio aliquo modo à priori ex causa finali: quia forma substantialis datur supposito tanquam fundamentum sui esse completi & omnium proprietatum, & ideo necesse est, vt illud fundamentum sit fixum & inuariabile, quamdiu rei essentia manet, vt ex vi eius possit res seie tueri, & ad suum statum naturale se reuocare, si aliquid incommodi passa fuerit. Et huc videtur tendere ratio D. Th. 1. p. q. 66. a. 4. ad 4. & 1. 2. q. 5. 2. a. 1. scilicet substantialem formam non posse intendi aut remitti, quia illa est, quæ primo constituit rei essentiam, quæ fixa esse debet & inuariabilis. De qua ratione, & de tota hac parte plura diximus disputatione 15. sectione 10. num. 45. & c.

Cur quantitas non intendatur.

EX quibus facile est rationē reddere, cur in quantitate non habeat locum latitudo intensionis. Nam propria quantitas, quæ est continua, est naturalis proprietates coniuncta materiæ: eique propinquissima: & ideo sicut materia non habet hanc latitudinem, ita nec proprietates eius. Imo idem contingit in omni proprietate intrinseca & connaturali essentia substantialem, vt statim dicam. Potest etiam ex formalieffectu quantitatē & modo eius probabilis ratio sumi: nam effectus formalis quantitatē est extensio materiæ seu substantiæ corporeæ: ad hunc autē effectum non est proportionata latitudo intensiua, nam hæc est, vt idem subiectum magis participet effectum formalem formæ: cum autem effectus formalis quantitatē sit extensio, participare magis vel minus talem effectum, solum est participare maiore vel minorem extensionem, quia sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, ergo in quantitate habet locum augmentum extensiuum, non intensiuum. Dices: Eadem quantitas cum condensatur vel rarefit, videtur intendi & remitti, vt D. Thomas etiam sentit 2. 2. q. 24. artic. 5. ad 1. Respondetur primo: Illa variatio non est in proprio & formali effectū quantitatē, sed in quodam modo eius. Deinde non est propriè maior intensio, sed maior vel minor extensio in ordine ad locum, quamquam respectu illius qualitatis quæ est densitas vel raritas, habet modum intensionis. Et quia in ordine ad locum videtur fieri augmentū ipsius quantitatē sine noua quantitate, ideo secundum quandam proportionem aliquando vocatur intensio, & ita locutus est D. Thomas, vt Soncin. notauit S. Metaphysicor. questione 27. ad 1. Et habet fundamentum illa locutio in Aristotele 4. Physicorum, textu 84. sed de raritate & densitate proprium

est phisici disputare: quia illæ qualitates, & mutationes secundum illas, omnino phisicæ, & materiales sunt.

De quantitate autem discreta ratio cur intendi nō possit, est, quia vnaquæque species eius constituitur per indiuisibilem terminum, quo mutato per additionem aut ablationem, mutatur species huius quantitatis. Et ad proportionem harum specierum idem declarat D. Thomas supra in quantitate continua, quia etiam eius species, quales sunt bicubitum, & tricubitum, per quamuis additionem vel ablationem mutatur. Sed, vt supra dixi, hæc non sunt propriæ species, sed ad modum earum concipiuntur, vel nominantur: ideoque per illas commode explicatur, has quantitates non suscipere magis & minus secundum intentionem.

Quæ species qualitatis intensionem admittant, & cur.

Secundo dicendum est hanc proprietatem seu latitudinem intensiuam, non conuenire omnibus qualitibus, sed aliquibus tantum. Hæc assertio etiam est certa, & constat inductione. Videntur autem in hac proprietate esse coniuñtæ species qualitatis, nam qualitates primæ & terciæ speciei hac proprietate gaudent: non vero qualitates secundæ & quartæ, nisi quatenus aliquid ex aliis speciebus participat. Quod intelligendum est, & regulariter, & quantum probabili ratione nos possumus de his qualitibus coniecturam facere. Igitur de quarta specie, scilicet, figura, id notauit D. Thomas supra, & causam reddit, quia talis qualitas in sua specie formaliter constituitur, & quali completur quadam indiuisibilitate, vt verbi gratia, quod talibus terminis seu lineis claudatur. Item, quia figura est quidam terminus quantitatis, vnde cum quantitas non suscipiat intensionem, nec figura illam suscipiet: maxime cum terminus vt sic postulet indiuisibilitatem. Dices: In hac specie nō solum ponitur figura, sed etiam forma, vt pulchritudo, quæ potest intendi & remitti. Respondeo primo, iam supra dictum esse, hanc non esse propriam speciem nisi ratione figuræ. Deinde eo modo quo illa est species, in tantum potest intendi, in quantum constat aliqua possibili qualitate, vt albedine, vel alia simili.

De potentia idem patet inductione in intellectu, voluntate, sensibus, &c. Et ratio esse videtur, quia hæc qualitates sunt intrinsece manantes ab essentia substantialem, ita vt non possint aliter fieri, & ideo participant indiuisibilem entitatem proportionatā essentia. Quæ ratio, si efficax est, idem probat de omnibus potentiis, quæ per se primo sunt ad agendum, & non habent alium modum productionis per se, sed solum per dimanationem à substantia. Quamquam incertū est, an vnuerfaliter id verum sit de omnibus virtutibus naturalibus herbarū, lapidum, & similibus, quæ non sunt principia actuum vitalium, sed materialium alterationum: illæ enim vere sunt potentia, & qualitates secundæ speciei. & tamen experientia videtur ostendi aliquando minui, quia pendent ex temperamento & dispositionibus, quæ intenduntur, & remittuntur. Hæc tamen experientia nō satis probat, ipsas virtutes in se remitti, sed actiones earum, quia in eis fortasse iuuantur aliquo modo à temperamento primarum qualitatum, quo debilitato & immutato, actio etiam fit debilior.

Neque ex eo, quod tales virtutes requirant tale temperamentum vel dispositiones ad statum naturalem, recte inferri potest eas remitti remissis dispositionibus, nam multo magis forma substantialem easdem dispositiones postulat, & tamen in se non minuitur, etiam si dispositiones remittantur. Quia intra certam latitudinem minima dispositio sufficit ad formam in materia conservandam, quæ intensiue indi-

IX.

X.

Figura non recipit intensionem, & cur.

XI.

In secunda specie an aliqua qualitas recipiat intensionem.

XII.

indivisibilis est. Hæ autem potentia seu naturales facultates proximè dimanant à forma, & non magis pendunt à dispositionibus quam ipsa, & ideo non magis necesse est eas in se minui, quam formam. Sic ut etiam potentia visiva, verbi gratia, requirit in suo organo certum temperamentum: ipsa verò non intenditur aut remittitur variato temperamento, sed vel tota perit, quando dissolutio temperamenti pervenit ad certum terminum, vel tota conservatur, quamvis cum maiori, vel minori aptitudine ad operandum ex parte temperamenti. Sic igitur probabile est, licet incertum, idem contingere in propriis potentiis connaturalibus, quæ nec sunt passibiles qualitates, nec per se possunt per propriam actionem fieri, sed solum per naturalem dimanationem à substantiali forma. Quod si fortasse aliqua ex his facultatibus intendi possunt & remitti, id habent quatenus tantum dependentiam habent à temperamento passibilium qualitatū, ut cum illo intenduntur vel remittantur. Denique semper limitavi hanc partem ad naturales potentias, quia virtutes instrumentariae, quæ ab extrinseco advenire possunt, & ad secundam speciem qualitatis pertinent, ut impetus, & similes, intendi possunt & remitti. Et ideo dixi regulariter hoc esse intelligendum.

XIII. Ex his ergo satis patet negatiua pars conclusionis, quo modo in secunda & quarta specie qualitatis veniunt habere. Quod verò pars affirmatiua sit vera in prima & tertia specie satis constat inductione in habitibus, & actibus animæ, & in primis qualitatibus elementorum, ut in coloribus & aliis huiusmodi. Ratio verò reddi potest, quia in his qualitatibus inveniuntur omnia quæ ad hanc latitudinem intensiuam sufficere possunt. Nam omnes illæ sunt per proprias actiones absque dimanatione naturali, vel si aliqua earum manant naturaliter ab aliis quibus formis, ut calor à forma ignis, frigus à forma aquæ, habent tamen contrarium à quo impediendi possunt, & minui, & per se etiam, seu per propriam actionem fieri possunt. Rursus hæc qualitates ex vi suarum rationum essentialium non includunt indivisibilitatem repugnantem huic latitudini intensiuæ: & alioqui habent proprias entitates accidentales, in quibus possunt esse capaces huius latitudinis. Qui discursus probat optimè, si in aliquo genere dantur qualitates intensibiles, ut re vera dantur, in his maximè dari. Probat etiam, nobis non constare esse in his generibus aliquas qualitates huius latitudinis incapaces. Et hoc satis est, ut nos affirmemus omnes qualitates harum duarum specierum esse intensibiles: id tamen demonstrare non possumus: nam fortasse vel datur vel possibile est aliqua qualitas harum specierum, quæ intendi non possit: quia in hoc non obediunt nos positivam repugnantiam. Sicut è conuerso forte datur aliqua naturalis potentia quæ intendi possit & remitti: qualem multi censent esse gravitatem aut leuitatem, de quo aliàs. Atque ita cessant facile obiectiones quæ hic fieri possunt.

XIV. Vna verò difficultas huic quæstioni solet adiungi, nimirum, an in formis eiusdem speciei, quæ intensibiles non sunt, possit dari inæqualitas in perfectione individuali. Sed hanc quæstionem iam supra remisimus in libros de anima: quia, licet generalis sit, eius tamè difficultas in animabus, & præsertim rationali versatur: & ab hoc loco maxime est aliena cum ad intensiōem qualitatis explicandam nihil conferat.

SECTIO III.

Qualis sit actio seu mutatio, per quam latitudo intensiuæ qualitatis acquiritur.

I.



Actenus egimus de intensiōe in priorius significato superius posito, scilicet, de latitudine, quæ dicitur in ipso termino, seu qualitate: superest dicendū

de altero significato, scilicet, de acquisitione talis latitudinis, nam multum confert ad magis explicandam hanc proprietatem: & licet quæstio physica videatur, latius tamen patet, & propriam difficultatem continet metaphysicam, ut videbimus. Ut autem ea quæ dubitari solent, melius intelligantur, prætermittere oportet aliqua, quæ certa videntur.

Nonnullæ suppositiones.

PRIMUM est, acquisitionem hanc perfectionis intensiuæ esse veram & realem actionem, & passionem seu mutationem. Hoc constat experientia: imo nulla est alteratio, quæ nobis familiarior sit: per hanc enim res omnes in melius vel deterius commutantur. Secundum est, huiusmodi acquisitionem sæpe esse diuersam actionem à prima acquisitione vel effectiōe ipsius qualitatis. Hoc etiam constat experientia, tam in habitibus animæ, quam in qualitatibus sensibilibus. Nam una actio tempore antecedit aliam. Tertium est, latitudinem intensiuam non semper acquiri totam simul, aut per unam indivisibilem actionem, sed successu temporis, etiam post primam formæ acquisitionem. Quod etiam manifestum est experientia, & ex dicendis magis constabit.

Sine intensio maior radicatione, & cunctio in eadem forma.

His positis multa sunt dubia, quæ in titulo proposito comprehenduntur. Primum illud vulgare, an acquisitio seu intensio sit realis additio formæ, vel maior radicatio auteductio. Sed in hoc iam nobis nulla relinquitur quæstio, suppositis, quæ in prima sectione dicta sunt. Vnde nunc solum addendum restat, illa tria, scilicet intendi per additionem, per maiorem radicationem, aut per eductionem, non esse inter se pugnantia, sed omnia esse vera, si recte explicentur. Primum enim negari non potest, quin in hac acquisitione interveniat realis additio, cum præexistens forma realiter perficiatur per nonnam realem actionem. Illud autem, quod additur, non potest non esse aliquid entitatis formæ: quæ supra latè probata sunt. Rursus manifestum est, hoc quod additur per hanc actionem, non præexistisse actu ante illam actionem, quia vel præexistet in eodem subiecto, vel in alio: non in eodem, aliàs nulla postea fieret additio: nec in alio, quia vel accidens migraret de subiecto in subiectum vel talis additio fieret, quod est impossibile, vel addendum esset non solum accedens accidenti, sed subiectum subiecto, & sic non esset intensio, sed extensio. Et hoc est quod Aristoteles dixit. 4. Physic. c. 9. Ex calido fieri magis calidum nullo facto in materia calido, id est, sine additione subiecti seu partis de nouo calidæ, ut Commentator expresse declarat. Additio ergo per se necessaria ad intensiōem debet esse solius partis, seu gradus formæ in eodem subiecto, in quo præexistebat forma remissa. Igitur id, quod additur per intensiōem, antea non præexistebat, sed de nouo fit.

Hinc ergo tandem concluditur, hoc quod additur in intensiōe educi de potentia subiecti, quia non fit per creationem, sed fit in subiecto, dependenter ab illo in fieri & in esse. Neque oportet quoad hoc excipere intensiōem qualitatū insofarum (ut putavit Caietan. 1. 2. q. 52. art. 2.) nam etiam illæ qualitates fiunt per eductionem, ut supra probavi disputat. 16. ergo simili modo augentur, nam est eadem utriusque ratio. Ita fit, ut intensio formæ sit quædam maioreductio eius de potentia subiecti, quæ vocatur additio, comparando terminum huius mutationis ad rem præexistentem:eductio autem vocatur per comparisonem ad subiectum, in quo & ex quo fit talis mutatio. Atque eademeductio vocatur maior radicatione ta-